DE ICTERI CAUSIS ET NATURA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVIII. M. JULII A. MDCCCXLI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Rudolph. Frider. Schäffer

Guestphalus.

OPPONENTIBUS:

F. PRIGGE, med. et chir. Dr., med. pract.
J. MARTINI, med. et chir. Dd.
H. JASPER, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

DE ICTERI CAUSIS ET NATURA.

Icterus dicitur ab oriolo, galbula avi familiae merularum annumeranda, quae a Latinis galbulus, a Graecis *ἴκτερος* nominata, flavo est colore. Quae cum spectetur, icterum sanari, avem mori Plinius (1) auctor est. Aliorum ex sententia nomen ducendum est ex viverrae specie, mustela furo L. (*ἰκτὶς* Graecorum), cujus oculi citrino colore tincti sunt. Idem morbus ab auri colore aurigo nominatur et regius ab auro, metallorum rege, vel quoniam aulici homines ob vitae rationem facilius, saepiusque morbum sibi contrahant, vel secundum aliorum opinionem, quod in aulis regum morbus molliter curetur ludis, lasciviaque, quibus mens exhilaretur. Ita Serenus Sammonicus canit:

> Regius est vero signatus nomine morbus,
> Molliter hic quoniam celsa curandus in aula.

---

(1) Plinius lib. 30. Cap. 11.

Celsus morbum interdum nominat fellis suffusionem, interdum morbum arquatum, quum cutis saepe colore sit vario simili ei arcus coelestis. Ab aliis morbus icterus flavus dictus est, quem ab ictero albo, (Chlorosi) et ab ictero coeruleo (Cyanosi) distinguerent. Paracelsus icteritiam vocat. Nomen melasicterus, sive melanchloras morbo tribuendum est, si cutis colore sit viridi vel nigro.

Caput I. DESCRIPTIO MORBI.

Est difficile definitu, icterus quid sit. Praeter mutationem cutis coloris sani in colorem flavum icterus semper supponit alius organi affectionem simultaneam atque requiritur complexus mutationum morbosarum, de quo deinceps dicemus. Color hicce mutatus plerumque primo, ubi magis in sensus cadit, in tunica conjunctiva oculi, sub unguibus animadvertitur; deinde circa angulos oris, alas nasi et partes teneriore epidermide tectas, sicuti tempora, collum, manus, labia, aures, pectus, faciem flexoriam extremitatum corporis; denique extenditur color ille ad universam corporis superficiem. Morbo chronico obstinatiore color fit aurantiacus, viridis, immo niger; iisdem sub conditionibus saepissime non tantum externa, sed etiam interna corporis superficies flavescit. Flavescunt et partes molles et durae et humores, tela cellulosa, pannus adiposus, membranae serosae, muco-

sae et fibrosae, si quidem Stokes (1) ipsam duram matrem et arachnoideam cerebri flavam invenit. Flavescunt etiam cartilagines, substantia ossea dentium. Stoll et J. P. Frank saepissime ossa flavum colorem accepisse repererunt. Facta venaesectione saepe serum sanguinis flavum videmus; Weller lacrymas flavas cernebat; praeterea et sputa, saliva, sudor non raro colorem flavum habent.

Praecipue vero est urina, cujus color et natura mutatur; est enim rubrior, flava, crassior et minor quantitas secernitur; papyrum linteumque immersum flavo colore inficit. Acido muriatico, nitrico, sulphurico addito vel si urina aëri exponitur, pigmentum urinae plus oxydari solet, quo color flavus in viridem, fuscum, nigrum transit, nihilominus tamen urina semper perlucida est; qua in re urina icterica similis est tincturae Guajaci ammoniatae, quae primum est fusca, sed aëri exposita viridem colorem accipit. Qui urinae color symptoma pathognomonicum icteri esse videtur. Rarissime humorem aqueum et vitreum oculorum flavum invenerunt, semel certe medicus clarissimus Florentinus vidit. Qua de re et de visu flavo quorundam ictericorum mox dicam; jam mihi agendum est de morbi decursu. Haud raro icterus habet stadium prodromorum;

---

(1) Stokes, Vorlesg. üb. Heilkde. der innern Krankheiten, übersetzt v. Behrend, p. 82.

alvus fit tarda, aegrotatus afficitur lassitudine, pigritia, cutis pruritu et ventriculi dolore quodam premente. Brevi post color ratione jam indicata mutatur; lingua pigmento flavo semper obtecta est, quamvis dorsum linguae saepissime non flavescat. Qua de causa Double(1) et Heberden(2) negarunt ictericorum linguam semper esse flavam; quamquam omnium quos vidi ictericorum linguae pone papillas vallatas et in facie inferiore flavum obstendebant colorem. Linguae dorsum fere semper rubrum mansit praeterquam in uno casu, cujus prognosis erat pessima. Praeterea sudores erumpunt flavi coloris, omnes cibi sapore amaro imbuti sunt, a cibis aegrotus abhorret, nausea, ructibus amaris, acidis, vomituritionibus, vomitu ipso affectus est. Quamvis fere omnia secreta et excreta colorem accipiant flavum, tamen faeces colorem sanum flavum amittunt et saepe redduntur albae, argillaceae, siccae, durae. Interdum vero haud sunt contra normam, immo tantum abest, ut alvus sit retardata, ut aegroti diarrhoea biliosa laborent. Quae res sita est in diversis icteri causis, de quibus postea exponam. Regio scrobiculi cordis est tensa, inflata et pressa, interdum dolet. In regione hypochondriaca dolores sunt fixi, adsunt etiam saepe dolores prementes ventriculi et colici. Ictero hepatis af-

---

(1) Double, séméiologie générale, t. 1, p. 332,
(2) Heberden, opera. Cap. L.

fectione exorto haud raro insunt in humero et brachio dextro vagi dolores, quales in Carditide saepe in latere sinistro invenimus. Pruritus ille prodromorum saepius fit intolerabilis praecipue noctu, quum aegroti etiam somno priventur. Caput magnopere dolere solet. Interdum levis dysuria adest, quae causam habet in urinae mutationibus. Pulsus plerumque est tardus, debilis, interdum intermittens, interdum vero febrilis est, acceleratus.

Febris, si adest, ad vesperum exacerbatur, tempore matutino remittit vel intermittit. Aegrotus accusat artuum dedolationem, lassitudinem crescentem, quo morosus fit. Tristes animi affectus, quos nullo modo potest vincere, eum perturbant, dolet sortem suam, abjecto saepe animo statum suum inemendabilem credens de restitutione sua desperat. Decursus vero et periculum pro causis morbi differunt. Interdum tantum per duos tresve dies morbus obtinet, interdum est chronicus, quum situs sit in causis, quae haud possunt removeri. Saepe morbus facit exacerbationes et remissiones, intermissiones et paroxysmos, interdum febres inveniuntur intermittentes, in quarum paroxysmo icterus apparet, in intermissione evanescens. In ictero chronico conditio in dies depravatur, defectus nutrimentorum sensim aegrotum omnino enervant, tumor pedum exoritur et sic miser sane vitam degit commiserandam. Febris hectica oritur, quae mox aegrotum interficit.

Caput II.

DIFFERENTIAE MORBI.

Icteri diversissimae sunt species, quas ad exponendas necessarius est hic dividendi modus.

I. Quod attinet typum, discernimus:

1) Icterum continuum, veluti in hepatis, lienis, duodeni, pancreatis desorganisationibus.

2) Icterum intermittentem, qui est sive acutus in febribus illis intermittentibus cum ictero conjunctis, sive chronicus. Huc pertinet praecipue icterus calculosus. Si enim calculus biliarius causa est icteri, quum bilis influxionem in duodenum mechanice impediat, saepe fit, ut repetitis naturae virium intentionibus tandem amoveatur, propellatur et excernatur. Jam icterus evanescit, quo in intervallo aegrotus modice valet, usquedum calculus novus producatur, qui denuo icterum gignit.

3) Icterum remittentem. Huc pertinet ict. febrilis, qui mane remittit, ad vesperum exacerbatur. Etiam chronicus interdum remittit.

II. Quod spectat ad morbos alios cum ictero conjunctos: icterus potest cohaerere cum febre (ict. febrilis), cum plethora venosa abdominali (ict. plethoricus), cum hepatitide et acuta et chronica (ict. hepaticus), cum neurosibus (ict. spasmodicus), cum calculis biliariis (ict. calculosus), cum duodenitide et gastritide

(icter. gastro-duodenalis), cum pancreatitide, peritonitide etc.

III. Praeterea aetas aegrotorum grave est momentum morbo.

1) Icterus foetalis, quem morbum Lobstein observavit, summum periculum foetui affert, quum foetus plerumque mortem occumbat. Sectione facta omnia organa interna et prae ceteris nervi praecipue colorem perflavum acceperunt. Cujus morbi causa est icterus gravidarum, quem mater, ut natura fert, foetui communicat.

2) Icterus neonatorum prodromos habet quietem naturae haud consentaneam et arctum somnum gravem. Morbo erumpente, cutis fit flava, aeruginosa, deinde rubra, aurantiaca, ita ut haud raro melasicterus exoriatur; neonati inexpugnabilem paene dormiendi necessitatem habent; jam fiunt inquieti, haud cupiunt lactere.

3) Icterus senilis se ostendit apud senes, qui vitam habebant sedentariam, sive immodice eam agebant. Quae icteri forma a multis melasicterus appellatur. Praecipue post coenam dolores oriuntur pungentes ab epigastrica regione usque ad superiorem hepatis faciem, inter quos et dolores illos prementes gastritidis chronicae magna est similitudo. Vomituritionibns, ipso vomitu aegroti praecipue post coenam cruciantur; alvus retardata variat cum diarrhoea, color flavus viridis, urina

minus flavum colorem accipit. Quae sunt specialia hujus morbi symptomatâ, qui fere semper in febrem hecticam transiens vitam aegroti finit.

IV. Quod attinet gradum morbi, morbus est benignus aut malignus. Pathologi distinxerunt icterum neonatorum benignum et malignum. In illo cutis colorem habet aurantiacum, scleroticae color haud est contra normam, neque alia symptomata inveniuntur, quae morbum universum totius corporis probent. Morbus apparet inter tertium et sextum diem post natos liberos, cum ict. neonatorum malignus serius usque ad finem primi mensis exoriri solet. Qui morbus multo est periculosior illo; cutis color viridis, et sclerotica flava, viridis. Liberi clamore vagiunt, qualem mus edit; pedes ad regiones epigastricas attrahunt; venter tympanice intensus magnopere dolet. Postremo febris advenit, convulsiones, risus sardonicus et infantes saepissime occumbunt.

V. Colorem ubi respexeris, varium vel flavum, vel viridem, vel rubrum, vel nigrum invenies.

VI. Quod attinet causas morbi, in aetiologiae descriptione sequenti hanc morbi divisionem proponam.

Caput III.

AETIOLOGIA MORBI.

§. 1.

De causis remotis.

Causae remotae tam multae sunt, ut magna medicorum pars icterum modo morbi symptoma, haud mor-

bum ipsum habuerint. Quum vero res eadem sit multis cum aliis morbis, qui tamen proprii morbi ducuntur, praecipue quum, quod spectat ad therapiam, icterus sit summo momento, hunc quoque morbum proprium equidem tractabo. Causae remotae vero tantum triplici ratione icterum gignunt, qui hac de causa in tres species dividendus esse mihi videtur.

1) Icterus hepaticus. Quo in morbo hepar munere suo non recte fungi solet, ita ut bilis secretio impediatur; quum hac de re nulla bilis in duodenum transeat, quumque bilis cum faecibus non misceatur, excrementa alba et argillacea excernuntur. Semper symptomata adsunt, quae hepatis affectionem indicant, quae satis sunt nota, ut transire ea possim. Ex faecibus siccis, albis et symptomatis hepaticis diagnosin in ictero hepatico ponere nobis licet. Organum inflammatum nunquam functioni suae recte praeest, functio est vel aucta vel diminuta, aucta in inflammatione vehementiore, diminuta in inflammatione minoris momenti. Hepatitis ergo acuta, violenta, praecipue facie concava hepatis affecta et in primo stadio, quo impetus morbi est acerbior, saepissime icterum inter symptomata sua habet. Eodem modo in pneumonia acerba tussis est sicca, in ophthalmiae primo stadio nulla est secretio, sed inflammatione diminuta secretiones augescunt. Sed hepatitidis exitus saepe talis, ut omnino fere bilificatio impediatur; hic referenda gan-

graena rarissime eveniens, suppuratio hepatis, exsudatio, abscessus, hepatomalacia, al.

Interdum hepar majorem in partem pingue fit, saepe scirrhus hepatis, fungus medullaris, phthisis hepatica tuberculosa nascuntur, quibus morbis bilis secretio semper turbatur. Omnibus notum est, encephalitidi traumaticae hepatitidem et icterum se consociare saepissime; quod idem fit conspicuum in febribus nervosis, ita ut species illa, typhus icterodes exoriatur. — Quibus sub conditionibus et quas ob causas illi morbi saepius conveniant, haud pro certo habemus. Consensus est incognitus inter hepar et cerebrum, qui fortasse efficitur ex nervo vago, a quo majorem in partem plexus hepaticus primordia sua ducit. Quod ut certius cognoscamus, maxime est necessarium nos certiorem habere diagnosin in encephali morbis, in qua ponenda pathologi peritissimi saepissime errant. Inter symptomata phlebitidis, inprimis venae portarum saepissime animadvertimus icterum levioris momenti; eodem modo quo in arteriitide pulmonum affectio haud raro observatur. Ut respiratio tuta habeatur, sanguis arteriosus pulmonibus, ut bilefactio normalis sit, sanguis venosus hepati recte adducatur oportet. Quod quum per inflammationem vasorum sanguiferorum impediatur, necesse est illorum organorum functionem impediri nec bilem recte secerni. Quod magis ab exitu phlebitidis in angustationem venae portarum efficitur, ut natura fert. Huc denique pertinet icterus senilis, qui

plerumque e morbis venae portarum originem ducit.

2) Icterus a partibus bilem ducentibus, quo in morbo plerumque coarctatio ductus hepatici vel cystidis vel ductus cystici vel choledochi invenitur. Quae coarctatio diversas habet rationes; »emphraxis« nominatur, si corpora peregrina vel extra corpus vel intra corpus orta ductibus illis inhaerent eorumque lumen angustant. Calculi biliarii hic primum locum tenent, qui saepissime illis in partibus inveniuntur. Morbus id habet peculiare, ut post coenam, tussem, sternutationem, risus, animi affectiones, et post immodicos corporis motus subito et improviso dolores oriantur acerbissimi et vehementissimi; ut nihilominus tamen venae haud concitentur et pulsus maneat tranquillus, lentus, exiguus. Quod esse symptoma dolorum neuralgicorum saepissime, e. c. in hemicrania hysterica, in tetano, quo in morbo pulsus celer pessimam indicat prognosin etc. observare potui; qua de re etiam verisimile est, hos dolores neuralgicos esse, quum calculi biliarii urgeant plexum hepaticum. Praeterea huc referendus icterus, qui causam habet in vermibus ductum choledochum ingressis, cujus morbi Meckel quaedam specimina proposuit, quemque J. P. Frank vidit. Quamvis ego numquam in sectionibus stenochoriam in apparatu bilem ducenti viderim, tamen in ductus illos multa valent, quae stenochoriam gignere queunt, e. c. calculi biliarii, inflammationes, al. — Credo ergo, quum illi ductus in

sectionibus haud possint attente explorari, icterum interdum stenochoria tali oriri. Saepe etiam ductibus illis a partibus vicinis compressis icterus exsistit. Ita Stokes (1) specimen attulit, quo icterus ortum ducebat ab aneurysmate arteriae hepaticae, quo lumen ductuum biliariorum majus factum erat, quo modo hepar latius patebat. Idem oriri potest et saepe ortum est a tumoribus pancreatis capitis, cum ductus excretorius prope ad ostium ductus choledochi in duodenum transit; praeterea a duodeni et pylori desorganisationibus a faecibus viscidis induratis, hypertrophia cordis et aliis. — Uterus gravidarum quum potissimum alvo retardata ductus bilem ducentes urgere soleat, saepe gravidae ictero afficiuntur; huc fortasse aliquid confert etiam amenorrhoea gravidarum, quae causa est plethorae venosae abdominalis; interdum etiam membranae ductuum collabuntur subito remittente extentione immodica, e. c. calculorum biliariorum; quo membranae paralysi quadam afficiuntur, quum facultatem se contrahendi amittant. — Quum bilis propter situm ductuum pondus haud sequatur, effluxus impeditur. Strictura urethrae est nihil nisi jactura elasticitatis membranarum, qua de causa illum statum etiam stricturam ductuum bilem ferentium nominabo. Sed vis se contrahendi his quoque in organis saepe augetur, quo lumen ductuum partim contrahitur. Quomodo hypochondriae,

---

(1) Stokes. Innere Krankhtn. v. Behrend. p. 80 u. 108.

hysteriae, doloribus colicis, cardialgiae icterus saepe consociatur, quum hac ratione ductus choledochus spasmo affectus claudatur. — Pathologi diu disputavere, num ductus choledochus spasmo corripi possit, quod nequit negari, quum nuper clarissimus Joa. Mueller probaverit, ductus excretorios omnium glandularum majoris momenti habere fibras musculares. Quum vero ductus choledochus diu inter membranam muscularem et mucosam duodeni eat, claudi potest spastica affectione intestinorum; hanc ob causam in colicis, cardialgia, saepissime icterus invenitur.

Hic locus est, quo de ictero gastroduodenali loquar, quem Broussais, Marsh et Hunter primum descripserunt. Quem morbum comparare debemus cum cystitide acuta, qua in inflammatione urinae excretio tam est suppressa, ut aegroti tantum paulatim et summis doloribus paullulum urinae reddant; vel cum proctitide acuta, in qua quum summus sit tenesmus, aegroti quamvis saepenumero desideant, tamen nullas faeces, sed tantum pituitam saepe sanguineam dejiciunt.

Quod deducendum est ex irritatione, qua urina et faeces nervos sensitivos afficiunt. Ita stimulus reflectitur in medullam spinalem et eo nervi motorii contractiones spasticas gignunt, quae materiarum illarum excretionem impediunt. Eadem est res cum nostro morbo; bilis irritat organum inflammatum et eodem modo spastice duodenum et ductus choledochus contrahitur, quo bilis re-

tentio evadit. Sed interdum etiam ductus choledochus una cum duodeno inflammatus est, quo spasmus ille certe provocatur. Stokes (1) in exponendo hoc morbo hepar dixit sympathice pati, quum lex sit physiologica, sympathicam esse rationem inter glandulas earumque ductus excretorios, ita ut irritatio finis ductus facillime cum glandula communicetur et vice versa. At dubito equidem, quin tam levis irritatio hepatis possit functionem hujus organi omnino turbare, praesertim quum Stokes (2) alio loco affirmavit se hepatitidem numquam cum hac duodenitide conjunctam vidisse. Icterus gastroduodenalis est species, quam interdum epidemicam invenerunt, cujusmodi epidemiam Stokes descripsit in libro suo.

III. Icterus primarius, s. polycholicus est ea species, qua sanguis primitive affectus est, quum apud priores species sanguinis conditio morbosa tantum hepatis vel aliarum partium affectione exstiterit. Elementa bilis hoc in morbo ita in sanguinem convenerunt, ut hepar, quamvis magnopere intendat, non omnia e sanguine removere queat. Qua ratione bilifactio augetur et symptomata prodeunt polycholiae similia; icterus primarius vero ita a polycholia differt, ut haec sit bilifactio amplificata sano sanguine neque icterico. Polycholia nulla habet symptomata icterica, si exceperis stadium primum, quo saepe hepar majore irritatione functione sua non recte fungitur. Sed hac sub conditione nomen morbi est icte-

(1) Stokes l. c. p. 81. (2) Ejusdem p. 86.

rus neque polycholia. Quod haec icteri species speciale habet, alvus est haud retardata sicca; adest diarrhoea, faeces accipiunt colorem flaviorem, viridiorem, biliosum; interdum aegrotus vomitu bilioso cruciatur. Quod ad alia attinet symptomata, eadem sunt atque apud priores species, quum ea bilis elementa, quae ad bilifactionem adhiberi non possint, in sanguine restent et icterum gignant. Voluerunt vv. dd. hanc speciem esse criticam, sed falso; quamvis adaucta functio hepatis simul cum polycholiae symptomatis critica sit, tamen icterus non criticus. Cui morbi speciei senectus incipiens, media aetate peracta, praecipue obnoxia, quum reproductione imperfecta, nutrimentis haud diminutis, venarum resorptione aucta plethora venosa abdominalis nasci debeat. Apud cholericos quum animus atque totius corporis functiones pariter auctae sint et irritatae, etiam organa secernentia ad sanguinis compositionem tutam et normalem obtinendam majore cum vi suo munere funguntur; quum plus bilis secernatur, cholerici, quum urinae secretio augeatur, a Linnaeo micturientes nominantur. Unde apparet, cholericos nostro morbo esse praedispositos. Etiam apud melancholicos plethora venosa saepe oriri fertur. Sed in universum constitutio venosa valde nostro morbo disponit, quum munus hepatis magnopere augeat. Quam ob causam regionum tropicarum et aestatis calor summam vim habet in hepatis morbos, maxime icterum primarium: extendit enim aërem ita, ut minus oxygenii in

pulmones intret sanguisque venosior fiat; musculi vero et tendines emolliuntur nisi arterioso sanguine irritentur, quo respiratio maxime conturbatur et constitutio fit venosa. Quapropter in regionibus tropicis morbi tales periculosissimi sunt, endemici et epidemici. Etiam in secundo stadio ochropyrae s. febris flavae semper icterus apparet, quem in extremo hoc stadio et in tertio symptomata nervosa, coma, sopor, tendinum saltus sequuntur. Coma etiam in aliis icteris formis saepissime observatur, quam alii deduxerunt ex ratione sympathica inter hepar et cerebrum, alii (e. c. Griffin) ex vi, quam bilis in sanguinem cerebri, sicut urina in typho urinoso exercere solet. Praeterea antagonismus inter hepatis et alias secretiones esse dicitur, quum combusta etiam aliis praeter bilifactionem rationibus excerni possint. Quibus secretionibus suppressis, sanguis venosior fit quam fas est; quo pertinent haemorrhagiae venosae suppressae, corporis calidi refrigeratio, quibus haud raro icterus hujusmodi oritur. Nec raro vidi, animi perturbationes et prae ceteris iram saepe subito polycholiam et icterum proferre; ira hepar irritatur, quo nimium bilis secernitur, in duodenum confluit polycholiaque oritur. Sed qua ratione polycholia cum ictero conjuncta? Hoc incertum est, fortasse bilis effusae magna pars denuo resorbetur atque in sanguinem ducitur. Aliter est cum nimio potu spirituoso, qui, ut notum, conditionem venosam sanguinis auget et hoc modo icterum haud raro condit.

Jam mihi disserendum de splenitide, quum icterus levis cum ea jungatur, sed faeces colorem album non adsciscant neque raro ipsa diarrhoea biliosa appareat. Hinc conjici potest, bilem quidem secerni, nihilominus tamen partes biliosas in sanguine remanere. Quod fortasse functionem lienis illustrat; sequitur enim esse organum, quod communem cum hepate habeat ad cholepoesin finem, quapropter, lienis functione turbata, hepar eo magis et efficacius lienis vices susceptas expleat. Quum autem non omnino explere valeat, partes ad bilifactionem necessariae in sanguine remanent et icterus existit. Praeterea venena quaedam icterum facere dicuntur, veluti morsus Ranae Bufo, Crotali horridi, Viperae Berus., fungi quidam venenosi, Datura Stramonium, abusus hydrargyri, praecipue hydrargyri muriat. mit. et mercurii inuncti, alia. —

§. 2.

Restat, ut dicam de icteri neonatorum causis remotis.

I. Icterus neonatorum benignus. Secundum J. P. Frank (1) nihil est nisi erythema ortum ex vi, qua aër primum neonatorum cutem afficit, quod primum rubrum deinde flavum colorem accipit.

---

(1) J. P. Frank, deutsch d. Sobernheim. Thl. IX. p. 221.

II. Ict. neonat. malignus.

1) Ict. neonat. malign. hepaticus. Hepar functioni suae non praeest. Chambon caput censet per pelvem transiens magnopere premi atque hoc modo hepatis functionem turbari. Hoc etiam fit, si hepar distenditur per nimias attractiones fasciarum umbilicalium, vel premitur vestimentis neonati. Interdum funiculus umbilicalis, praecipue vasa sanguifera inflammantur, quo hepatitis et icterus nascitur.

2) Ict. neonat. malign. ab apparatu bilem ducente proficiscens. Jam Rosenstein et Baumes observarunt ex obstructione mechanica ductus choledochi vel muco vel meconia icterum oriri. Saepe mammae neonato serius dantur, quo meconium haesitans ductum choled. obstruit (1). Schaefferi opinio est prima alimenta inconsuetos esse stimulos intestinis, quibus ductus choledochus spasmo afficiatur, orificium contrahatur.

3) Ict. neonat. malign. primarius s. polycholicus. Hepatis functio adeo commutatur, ut facillime possit turbari; eodem modo cutis foetus tantum amnii liquorem resorbet, neonati perspirare debent, ita ut nova haec functio facile contra normam sit. Idcirco materiae hydrocarbonicae in sanguine saepe restant, icterumque afferunt. Cutis functio frigore capto aeque tur-

---

(1) Schmidt, Geburtskde. für Hebammen. §. 726.

batur; si liberi in ecclesiam apportantur ad primum sacramentum accipiendum; si remedia adstringentia in cutis partes leviter epidermide tectas adhibentur etc. Morgagni et Autenrieth sanguinis circuitum post natos liberos lentiorem fieri videbant, quum sanguis per hepar non amplius corpus intret, quo cholepoesis turbetur. Sed dubium hoc.

§. 3.

De causis proximis.

De causis proximis adhuc sub judice lis est, quae sane mox componeretur, si vasa bilifera extra corporis superficiem sensibus nostris essent accessibilia. Quum oculis sint obducta, conjecturis probabilibus contentos nos esse oportet, cum eas certo demonstrare non cadat in hominem, id quod omnino raro in explicandis phaenomenis physicis fieri licet. Bilis in universum e sanguine paratur, et quum praecipue e carboneo et hydrogenio constare videatur, sanguinem ab his purgat. Alia elementa solidiora pikromelan, taurinum, pigmentum bilis semper solutum, pingue, acidum oleosum et alia, verisimile est, ut Berzelius ait, ex albumine et salibus anorganicis sanguinis proficisci. Quod attinet icterum hepaticum, illa elementa, hepate non recte agente, in sanguine manere perspicuum est; attamen necessario

ea aliquantulum mutantur, ut icterus evadat, quum carboneum et hydrogenium tantum sanguinis causa proxima icteri esse nequeat. Quem in finem elementa sanguinis permutari et diverse componi debent, ut pigmentum bilis etc. evadat, quod colorem faciat flavum. Qua ratione hoc fiat, haud certo constat. Mea ex opinione lien est organon, ut dixi, quod bilifactionem cum hepate communicet, quod hepate aegrotante vices susceptas expleat tali modo, ut itidem pigmentum biliosum etc. producatur, quod sanguinem invehatur. Saepenumero etiam hepar non plane functionem suam negligit, ut bilis minorem partem producat, quae a ductibus biliferis non accipitur, sed in sanguinem redit. Quam ad bilifactionem non normalem non omne, quod sanguini inest, hydrogenium, carboneum etc. consumitur, ita ut Rudolphi (1) dicat materias, e quibus bilis fiat, ictero diu durante ita convenire, ut sanguis arteriarum et venarum non admodum differat. Qua ex re explicari debet, quod Abernethy (2) et Lawrence (3) statuunt, bilem secretam esse ex arteria hepatica neque ex vena portarum, si in hepar non transeat, vulgo bilem secernens. Quod ad icteri secundam speciem propositam spectat, bilis recte secernitur, sed affluere nequit in duodenum. Vesica fellea, ductus hepaticus, cysticus, choledochus

---

(1) Rudolphi, Physiologie. Band 2. Abtheil. 2. pag. 145.
(2) Abernethy, Philos. transact. 1793.
(3) Lawrence, Medico-Chirurg. transact. pag. 174.

et ductus biliferi ex diversa sede obstructionis bili omnino implentur. Quapropter a venis vel vasis lymphaticis bilis denuo resorbetur atque in sanguinem transit, idquod jam Cullen (1), Bange (2) et Selle (3) contenderunt. Impletis vero ductibus biliferis cholepoesis turbatur, quod ad icterum confert. Eodem modo typhus urinosus apud calculos uretherum etc. oriri dicitur. Causae remotae icteri polycholici efficiunt, ut nimium carbonei et hydrogenii sanguini insit, neque omne ad bilifactionem consumatur. Cujus magna pars, in hepate aliquantulum mutata denuo in sanguinem transit, quum hepar haud omne bilem facere et emittere queat. Quae quum ita sint, sanguinis conditio, color mutatur ita, ut multi, P. Frank, Clairont et alii pigmentum flavum et materiam oleosam in sanguine ictericorum viderent. Quod pigmentum flavum jam assimilatur et transit in partes organicas; simili modo quo Rubia tinctorum ossa rubra reddit, qua etiam de causa in ictero color corporis flavus fit. Quam ad rem confert, quod saepissime sanguinis color flavus per cutem perspicua fit, atque etiam color normalis ruber. Quum vero vegetatio diversarum telarum sit diversa, quum altera tela plus et prius e sanguine recipiat quam altera, fieri debet, ut hoc organon saepius et prius colorem accipiat

---

(1) Cullen, elementa med. pract. vol. 4. pag. 516.
(2) Bange, de prax. med. pag. 548.
(3) Selle, Med. clinic. p. 194.

flavum quam illud, ut rarius quidem, sed interdum ossa flavescant. Jam dixi et explicavi, urinam aëri expositam ictericam et tincturam Guajaci volatilem e flavo viridem fieri; eodem modo ictero chronico facies cutis externa olim flava, jam viridescit et icterus in melasicterum abit. Saepe vero hic transitus subito et in ictero acuto fit, id quod explicare possis e perspicuitate coloris sanguinis. Sed sanguinis est, e quo omnes secretiones urinae, salivae, lacrymarum, sputorum ducantur, quae secreta necessarium est accipere colorem flavum. Quod verum esse expertus sum et dixi; simili de causa secreta saepissime valde sunt amara, ita ut P. Frank (1) narret, neonatos saepe mammas nutricis ictericae recusare, quamvis lac perraro sit flavum. Quum alia secreta parentur ex elementis bili similioribus atque alia, etiam color flavus apud diversa secreta diversus est. Ex partibus biliosis, quas saliva continet, deducitur sapor amarus ictero affectorum; praeterea in ictero polycholico producitur a vomitu bilioso. Qua vero ratione oriuntur vomituritiones et vomitus icteri hepatici et secundae speciei? Bile in duodeno non praesente motus peristalticus fit lentior, quod fortasse est in causa. Animus perturbatus, pulsus lentus ictericorum, mens capta, tum sunt symptomata causarum, tum ducuntur a partibus biliosis in cerebro assimilatis, ita

(1) P. Frank, pag. 224. Thl. 9.

ut saepe arachnoidea, dura mater flavo sint colore, tum e ratione sympathica, quae est inter hepar et cerebrum. Olim medici clarissimi ictericos semper omnia flava videre opinabantur, quod quidem perrarum, et de centum ictericis vix est unus, qui tali modo affectus sit. Qui visus flavus prodit ex affectione nervorum, neque ex cornea flava. Si cornea flava esset causa, deberet cornea inflammata rubra visum rubrum reddere et hujusmodi affectio frequentior esse, quum cornea saepius colorem flavum accipiat.

VITA.

Natus sum ego Rudolphus Fridericus Schaeffer Altenae, Guestphaliae oppido, die XXV. mens. Novembris anno h. s. XX, patre Josepho Caspar, matre Augusta Guilelmina e gente Castringius, quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis domi ab Heidemann, praeceptore carissimo, viro humanissimo maximeque de me merito, imbutus, gymnasium Bilefeldense, quod nuper directore Kroenig, jam Carolo Schmidt floret, per duos annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus tempore paschali a MDCCCXXXVIII almam literarum universitatem Halensem petii et ab Ill. Laspeyres, t. t. Prorectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus apud Ill. Friedlaender, t. t. decanum spectatissimum, nomen professus sum. Hae sunt, quas Halae tres per annos adii lectiones:

1. Philosophicae: logice et psychologia apud Ill. Gerlach; logice Aristotelica apud Ill. Erdmann; botanice et doctrina de plantis officinalibus apud Ill. de Schlechtendal; physice et chemia experimentalis; electrochemia apud Ill. Schweigger; zoologia, zootomia nec non historia naturalis hominis apud Ill. Burmeister; mineralogia apud Ill. Germar.

2. Medicae: Encyclopaedia et methodologia medicinae, materia medica, doctrina de forma pharmacorum, historia medicinae apud Ill. Friedlaender; osteologia et syndesmologia, anatomia et generalis et specialis, physiologia, anatomia comparata, examinatorium de anatomia apud Ill. d'Alton, qui mihi quoque bis in arte cadavera dissecandi moderator fuit; toxicologia apud Ill. Krahmer; pathologia et therapia generalis et specialis, de morbis organorum digestionis, febribus etc. apud Ill. Krukenberg; akiurgia, doctrina de ossibus fractis et luxatis, ophthalmologia, chirurgia, ars fascias rite applicandi apud Ill. Blasius; ars obstetricia apud Ill. Hohl. Praeterea scholis clinicis medicis Ill. Krukenberg, ophthalmiatrico-chirurgicis Ill. Blasius per annum, obstetriciis Ill. Hohl per semestre interfui.

Tempore paschali h. a. Halensi universitate relicta hanc almam musarum sedem adii et ab rectore magnifico Ill. Lichtenstein in civium academicorum numerum receptus, a decano spectatissimo Ill. Osann in album medicum relatus sum. Exercitationes clinicae, quas

frequentavi, sunt: medicae Ill. Osann, ophthalmiatrico-chirurgicae Ill. Juengken, obstetriciae Ill. Busch.

Quibus omnibus viris summe de me meritis maximas habeo semperque habebo gratias.

Inde a mense Julio h. a. in legione equitum draconariorum chirurgi militaris munere voluntarius fungor duce Exper. Ill. Eck, ut reipublicae legibus satisfaciam.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Scirrhus et fungus medullaris cultro haud sanantur.
2. Catarrhus pulmonum et bronchitis unus idemque morbus est, nec nisi gradu differt.
3. Cardialgia rarissima est; saepissime cum gastritide chronica confunditur.
4. Non existunt peculiares oculorum morbi.
5. Animalia et plantae certis signis distingui nequeunt.